

quando partes adjacentes immodicam copiam humorum excrementitiorum in se continent, ut nimis intentæ nequeant eos expellere. Vel ob Tumores & Scirbos, vasa Epatis prementes & angustantes. Vel ob pori cholicochi ad duodenum tendentis angustiam, compressionem & oppilationem à flatibus alijs, ve causis. Hoc contingit interdum post colicum dolorem quia ipsius osculum à pituitosa materia ibidem pertinaciter hærente obstrui solet; vel quia meatus iste à distentione à flatu aliave materia turgente comprimitur, ut habet Felix Plat. c. 2. de Discol. & c. 13. de ventric: dolor: Alij addunt oscillorum meatumve conniventiam propter siccitatem, quæ ortum habeat ab ijs quæ violenter adstringunt, partesq; calefaciunt & siccant.

rationi consentaneum e  
Sed vix credibile e dicit  
Saxonia prop. vermes  
nummum ep in testinis p  
cholicochi porum ad  
siccitate eum obstruere  
\*Forest. l. 19. c. 17.

XXI.

Restat ultima Classis causarum, continens eas ob quas bilis cumulata & aucta ad ambitum corporis effunditur. Hæc causas iterum in Externas & Internas dividere possumus.

XXII.

Quantum attinet ad Externas potest Jcterus causari ob varias aeris mutationes, imprimis calidas; Item propter insignes tam animi quam corporis motus de quibus supra Th. 15. Hinc Avicenna inquit, quandoq; æstatis tempore fieri dum frigus occurrit: repentinæ siquidem mutationes materiam propellere & agitare valent.

XXIII.

Internas quod concernit, sunt hæ: materiæ acredo irritans, copia gravans suiq; evacuationem cupiens, & membrorum expultrix, quæ irritata ad ignobiliores partes, cutim videlicet, materiam biliosam protrudit atq; effundit. Hæc autem effusio duplex est alia Critica, alia Symptomatica. Critica, quæ in febribus biliosis & acutis fieri solet, quando à victrice natura, bilis post concoctionem ad cutem ejicitur, Epate nequaquam affecto: qualem motum etiam Galenus 5. de loc. aff. c. 7. proposuit: siquidem, inquit, videmus nonnunquam, jecinore nequaquam affecto, pallidam bilem per morbi judicationem ad cutem effundi. Symp-